

an tempus impedimento fuit ? Si ab iis decretis, quibus publica salus continebatur, vos nulla avertere vis potuit, cur in hoc adeo utili ac necessario a cunctisque exoptato opere hestitamus ? cur a nobismet ipsis dissentire patiemur ? inanisque metu solidam nostrarum rerum defensionem omitemus ? Neque id vos (quod ajunt) movere debet, hoste prædabundo, minime justis viribus agros percurrente, arcem supervacaneam fore ; potenti vero cum exercitu irruente, brevi expugnatum iri : cum potius contra dicendum sit, ea forma atque artificio, quod plerique censent, objecta hostibus arce, a cladibus direptionibusque temperaturos ; sin vero cum exercitu in Italiam ingressum moliantur, munitissimum post terga propugnaculum, ex quo redeuntibus aditus intercludi facile possit, relicturos. Non me latet, nullas quantumvis munitas arces esse, quæ tandem humane vi potentiaque non cedant ; neque tantum propugnando homines posse, quin majori ac vehementiori oppugnatione dejici ac prosterni queant ; quantumque studium sagax ingenium ad tuendas arces adhibuerit, tantumdem ad arces vincendas contulisse. At quod pervicæ hominum obstinatae industrie sint, ideo minoris aestimari, neque in imperii custodia usurpari debent, cum sæpius regnorum salus atque incolumitas brevi temporis spatio ac fere momento vertantur ? Hostium impetum sustinendo, eorum consilia pervertuntur, cogitata evanescunt ; dum in urbe, oppido, arce oppugnando morantur, sæpius ingentes ac prævalidi exercitus absumpti ac dissipati sunt. An non Vienna infinitas prope Suleimani copias sustinuit ? quæ nisi fortissimo atque fortunatissimo Imperatori fuisset objecta, veluti torrens, rapido cursu sese in omnem Germaniam effudisset ? Quantum eidem exiguae Melitæ insule arces obstitere, in quibus retinendis eximium sibi adversus potentissimam classem decus immortalis cum laude Melitenses equites peperere ? Avorum autem nostrorum memoria nonne Asulum, in Brixienti solo parvum oppidum, Maximiliani Cæsaris impetum fregit, consilia disjecit ? Ne in aliis perquirendis exemplis morer, ex quibus satis patet, munitas arces, securitatem incolumitatemque magnis imperiis attulisse. At aliquando hostium virtute ac viribus occupantur. Esto : citra earum opem majori ac potentiori cito cedendum erat. At pa-